

qua extra locum immunem captus fuit; Taurinen. 9 Martii 1702, lib. III de cr. Vallem., p. 420.

(85. Non constat de dolosa extractione confugiti ad ecclesiam ob debitum contractum cum duobus mercatoribus, cum quibus iniiit contractum societatis, eo quod exierit ab ecclesia virtute transactionis factæ cum uno solum mercatore sine mandato, et conscientia alterius socii principalioris in interesse qui renuit ratam habere dictam transactionem tanquam ei præjudicalem, et fecit carcerare debitorem; Urbanien. 9 Maii 1702, l. III, de cr. Vall., p. 420.

(86. Non constat de extractione dolosa a loco immuni, quando confugitus causa debitorum exiit ab ecclesia sub promissione et juramento unius creditoris de non inferendo ei ullam molestiam, sed postea carceratus fuit ad instantiam alterius creditoris absque intelligentia cum primo creditore; Nullius Orbetelli 21 Novemb. 1684, l. III de cr. Altov., p. 390.

(87. In causa dolosæ extractionis episcopus procedat ad declarationem prout de iure: Neapolitana 12 Jan. 1700, lib. II de cr. Vall., p. 466. (88. Aliquando iungitur, ut informet super dolosa extractione et interim supersedeat in fulminatione censurarum et curet sibi consignari carceratum; Reatina 22 Nov. 1695, l. I de cr. Vall., pag. 229. (89. Post declarationem non constare de dolosa extractione, curia ecclesiastica tenetur admittere novas probationes; Perusina 18 Martii 1698, lib. III de cr. Vall., p. 443.

(90. Extractus fraudulenter a conventu gaudet immunitate eccles. In una civitatis Vet. 1 Februar. 1661, lib. de cr. Rocci, p. 312. (91. Extracti tamen ex fraude alicujus personæ privatæ non gaudet immunitate ecclesiastica. Æsina 16 Jan. 1663, lib. de cr. Rocci, pag. 450. (92. Recedens ab ecclesia ex fraude suorum inimicorum non gaudet immunitate eccles. Casalen. 20 Martii 1662, lib. de cr. Rocci, pag. 390. (93. Exiens ab ecclesia de consilio personæ particularis, et accidentaliter captus a curia nulla habita intelligentia cum ipso consiliario, non censetur dolose extractus. Ferrarien. 2 Junii 1603, lib. I de cr. Vallem., p. 50.

(94. Mulier, extracta ab ecclesia blandis verbis et circumventionibus a notario et Birruariis curiæ laicalis, est eidem ecclesiæ restituenda. Camerinen. 18 Octobris 1633, lib. II de cr. Paulucci, pag. 173.

(95. Dolose adductus a particulari persona ex concordia cum curia ad exeundum ab ecclesia et postea ab eadem curia carceratus, gaudet immunitate ecclesiastica. Ferrarien. 26 Jan. 1672, lib. I de cr. Altov., pag. 647. (96. Extractus ab ecclesia blandis verbis scilicet sub prætextu impunitatis promissæ a barone, gaudet immunitate. Tudertina 18 Aprilis 1679, lib. II de cr. Altov., p. 1749.

(97. Exiens ab ecclesia cum assecuratione sibi acta a scriba curiæ episcopalis de immunitate ad dandam querelam in eadem curia, et a vicario generali post horum notitiam retentus in carceribus, restituatur, et vica-

rius consulat conscientiæ suæ. Senogallien. 24 Novembr. 1682, lib. III de cr. Altov., p. 710. (98. Extractus ab ecclesia, sub promissione substituti curiæ laicæ de illo dimittendo post examen et postea detentus in carceribus gaudet immunitate et est restituendus. Æsina 13 Nov. 1663, lib. de cr. Rocci, p. 115.

(99. In ordine ad dolosas extractiones frequenter allegari solitas, attendendæ sunt sequentes novissimæ emanatæ resolutiones.

DECRETUM.

Pro tollendis abusibus per eos invecis qui, ubi in carceres coniecti fuerint, ad eludendam justitiam, sese a locis immunibus, ad quæ confugerant, dolose extractos fuisse frequenter allegare solent.

(100. Cum ad aures sanctissimi nostri Domini Clementis papæ XI, delati fuerint graves abusus in plurimis locis, ac præsertim in provinciis Italiæ et insulis eidem adjacentibus, atque etiam in regnis Hispaniarum, a plerisque eorum invecis qui, ubi de mandato iudicum capti fuerint, et carceribus mancipati pro causis civilibus vel criminalibus, ad eludendam justitiam, allegare frequenter solent sese ab ecclesiis aliisve locis immunibus, ad quæ confugerant, blandis verbis vel alias dolose extractos fuisse, et ad propriam allegationem comprobendam non solum in suis depositionibus facile pejerant, sed falsos insuper inducunt testes, adhibitæque consanguineorum vel amicorum suorum opera, etiam alia non minus damnabilia patrare non erubescunt. Quinimo aliquando ipsimet sunt qui, ad effectum libere vagandi, et forsitan etiam impune delinquendi, per baroncellos, et executores, aliosve similes justitiæ ministros, data opera, ab ecclesiis locisve immunibus prædictis sese extrahi curarunt, ea spe freti quod interim ecclesiasticæ immunitatis beneficium amittere non deberent. Hinc est quod Sanctitas Sua ejusmodi malis, quibus justitiæ cursus inhibetur, animarumque salus magnum in discrimen adducitur, pro eximia sua pastoralis sollicitudine ac zelo occurrere intendens, exquisivit a congregatione particulari nonnullorum eminentissimorum ac reverendissimorum S. R. E. cardinalium, ac illustrissimorum et reverendissimorum Romanæ curiæ prælatorum, ad hunc effectum deputata, quomodo et qua ratione provideri posset ut tam graves abusus e medio tollerentur. Habita itaque congregatione prædicta sub die 5 Octobris 1716, cui interfuerunt D. D. cardinales Tanarius Spinula, S. R. E. camerarius; Vallemanus, Grimaldus, et Origus; ac RR. PP. Prosper Marefuschius, episcopus Cyrenensis, ejusdem Sanctitatis Suæ auditor; Antonius Bancherius, protonotarius apostolicus ac sacræ Consultæ secretarius; Carolus Cerrus, Rotæ Romanæ Auditor; Scipio de Ricciis, præfatus congregationis secretarius; Prosper de Lambertinis, consistorialis aulæ advocatus ac fidei promotor, et Nicolaus Jacobatius, R. C. A. procurator fiscalis generalis; re mature discussa, eadem congregatio censuit.

Consulendum Sanctissimo quod omnibus ordinariis tam Italiæ insularumque illi adjacentium quam etiam Hispaniarum, scribantur litteræ per quas illis iungatur ut publico edicto notificent et moneant omnes et singulos qui ad ecclesias aliave loca immunitatis confugerunt, vel in posterum confugient, ut quatenus gaudere velint beneficio immunitatis ecclesiasticæ localis, curent in eisdem ecclesiis et locis immunibus permanere, caveantque ne ullo prætextu, causa, vel quæsito colore, ad eas, vel ea deserenda se induci sinant. Nam si extra illas vel illa ab executoribus justitiæ capti fuerint, minime eis proderit allegare, vel etiam probare, quod fallacibus suasionibus, blandis verbis, assertionibus, dolosisve machinationibus extracti fuerint; cum animarum saluti, justitiæ administrationi, ac publicæ etiam delictorum vindictæ, ubi de criminalibus agitur, expediat ut de cætero illæ duntaxat extractiones suffragentur, quæ, aut violenter patratæ, aut sub fide salvi conductus ab aliquo iudice ordinario seu delegato concessi ac subscripti, secutæ fuerint; qui tamen salvis conductus suffragari poterit pro tempore tantum in eo præscripto, intra quod extracti ad loca immunitatis omnino reverti debent, si eorum immunitate iterum gaudere intendant. Præterea iidem ordinarii moneant, atque notificent in ejusmodi edicto, quod si quis vere extractionem dolose, ut supra, commissam ante promulgationem edicti passus fuerit, ac immunitatis localis beneficio gaudere velit, ecclesiasticum confugium repetere omnino debeat intra mensem a die promulgationis ejusdem edicti numerandum, petito etiam, quatenus opus sit, ad hunc effectum salvo conducto ab ipsis ordinariis gratis concedendo; ita tamen ut, eo tempore elapso, si extra locum immunem deprehensus fuerit, perinde habeatur ac si voluntarie sponteque sua inde recessisset, nec audiri possit super extractione dolosa quam de præterito se passum fuisse allegaret. Factaque eidem sanctissimo Domino nostro per me infrascriptum secretarium de præmissis omnibus relatione, Sanctitas Sua particularis congregationis sententiam benigne probavit, ac desuper præsentem decretum edi, illudque a sacra congregatione Immunitatis ecclesiasticæ et Controversiis jurisdictionibus præposita promulgari et executioni mandari præcipit. Hac die 22 Decembris 1716.

S. A. card. TANARIUS.

Scipio de Ricciis, secr.

EPISTOLA ENCYCLICA

Jussu Summi Pontificis ad archiepiscopos Hispaniarum conscripta pro tollendis abusibus eorum qui, ubi in carceres coniecti fuerint, ad eludendam justitiam, sese a locis immunibus, ad quæ confugerant, dolose extractos fuisse allegare solent.

Illustris, ac Reverendissime Præsul, uti Frater.

(101. Cum ad aures sanctissimi domini nostri Clementis papæ XI, plurimæ pervene-

runt querelæ fide dignorum testimonio comprobatæ, adversus eos qui, ubi de mandato iudicum, sive in criminalibus, sive etiam in civilibus capti fuerint et in carceres coniecti, ad eludendam justitiam, falso plerumque affirmare solent sese ab ecclesiis aliisque locis immunibus, ad quæ confugerant, blandis verbis vel alias dolose extractos fuisse; dictumque suum perjurio confirmare audeant, ac insuper adhibita consanguineorum vel amicorum suorum opera, falsos testes inducere, et alia non minus detestabilia patrare non verentur; quinimo aliquando ipsimet sunt qui, ad effectum libere vagandi et forsitan etiam impune delinquendi, per baroncellos et executores, aliosve similes justitiæ ministros, data opera, ab ecclesiis locisve immunibus prædictis sese extrahi fecerant, ea spe freti quod interim ecclesiasticæ immunitatis beneficium amittere non deberent: hinc est quod Sanctitas Sua, graves ejusmodi abusus quibus justitiæ cursus inhibetur, animarumque salus in discrimen adducitur, pro pastoralis sua sollicitudine eximioque zelo, e medio tollere ac radicibus extirpare cupiens, audito prius nonnullorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium ac Romanæ curiæ prælatorum, super hac re specialiter deputatorum consilio, decrevit per organum hujus sacræ congregationis Immunitatis ecclesiasticæ et Controversiis jurisdictionibus præpositæ, injungi Amplitudini Tuæ, quemadmodum per præsentem iungitur, ut publico speciali edicto, tenoris in adjuncto folio expressi, moneat, denuntiet, atque notificet, quod omnes et singuli cujuscunque status, gradus, et conditionis fuerint, qui actu confugerunt, vel in posterum confugient ad ecclesias seu loca immunitatis istius diocesis, si illorum immunitate gaudere velint, curent attente in eis permanere, nec se ullo prætextu, causa, vel quæsito colore seduci sinant ad discedendum ab eisdem ecclesiis seu locis immunibus: ubi etenim extra illas seu illa ipsos deprehendi contingat, minime eis proderit allegare et probare quod fallacibus suasionibus, blandis verbis, assertionibus, dolosisve machinationibus extracti, seu abducti inde fuerint; cum ad occurrendum fraudibus et abusibus supra expositis Sanctitas Sua, de præfatorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium ac prælatorum consilio congruum ac opportunum duxerit, firmiter decernere et statuere, prout decernit et statuit, quod deinceps ii tantum extra ecclesias et loca immunitatis, ad quæ confugerant, ecclesiasticæ immunitatis beneficio gaudere pergant, qui ab ecclesiis et locis immunibus hujusmodi violenter extracti fuerint, vel inde discesserint sub fide salvi conductus ab aliquo iudice ordinario vel delegato concessi et subscripti, non tamen nisi ad tempus in eo præfixum valituri. Jubet insuper præfatus sanctissimus dominus noster quod Amplitudo Tua eodem publico edicto moneat, prout similiter annexa formula cavetur, omnes et singulos, si qui fuerint in ista diocesi qui ante publicationem edicti hujusmodi, revera blandis ver-

bis aut alias dolose ab ecclesiis aliisque locis immunibus extracti fuerint, ut quatenus gaudere intendant beneficio immunitatis eisdem ecclesiis et locis debita, debeant intra terminum unius mensis a die publicationis ejusdem edicti computandum, redire ad ecclesias vel loca immunita unde extracti fuerunt, exposcendo ad hunc effectum, quatenus opus sit, ab Amplitudine Tua saluum conductum pro tuo arbitrio et prudentia limitatum, ac gratis concedendum; addita insuper declaratione, quod si elapso praedicto termino in manus curiae inciderint, ita habebuntur ac si ab iisdem ecclesiis et locis immunibus sponte sua, nullaque prorsus interposita fraude, discessissent, nec eis licebit amplius dolosam extractionem allegare. Caeterum, cum haec sanctissimi domini nostri provisio, non in tua tantum, sed et in aliis istius provinciae diocesis servari omnino debeat, Sanctitas Sua districte tibi praecipit ut haec omnia quae per praesentes tibi injunguntur, etiam episcopis suffraganeis tuis aliisque locorum ordinariis tibi metropolitico jure subjectis, accurate significes, et ab eis exacte pariter ac diligenter observari cures et facias. Placeat igitur Amplitudini Tuae ita exsequi; dum ego interea deprecor eidem veriores felicitates.

Roma, 20 Januarii 1717.

Amplitudinis Tuae

Uti Frater Addictissimus

S. A., card. TANARIUS.

Scipio de Ricciis, secretarius.

FORMULA EDICTI PROMULGANDI.

« Cum ad notitiam sanctissimi domini nostri Clementis papae XI delati fuerint graves abusus a plerisque eorum invecti qui, ubi de mandato iudicum sive in criminalibus sive etiam in civilibus capti fuerint et in carceres conjecti, ut inde emittantur, allegare frequenter solent sese ab ecclesiis aliisque locis immunibus, ad quae confugerant, blandis verbis, vel alias dolose extractos fuisse, et ad propriam allegationem comprobandum, non solum in suis depositionibus facile perjurant, sed falsos insuper inducunt testes, adhibitaque consanguineorum vel amicorum suorum opera, etiam alia non minus damnabilia patrare non erubescunt; quinimo aliquando ipsimet sunt qui, ad effectum libere vagandi, et forsitan etiam impune delinquendi, per baroncellos et executores aliosve similes justitiae ministros, data opera, ab ecclesiis locisque immunibus praedictis sese extrahi curarunt, ea spe freti quod interim ecclesiasticae immunitatis beneficium amittere non deberent: hinc est quod Sanctitas Sua, ejusmodi malis pro eximia sua sollicitudine ac zelo occurrere intendens, speciali commissione per organum sacrae congregationis Immunitati Ecclesiasticae et Controversiis jurisdictionalibus praeposita, nobis directa, et inferius registranda, districte nobis injunxit ut ad praesentis edicti promulgationem procederemus.

« Apostolicis itaque Sanctitatis Suae mandatis, qua par est, veneratione et obsequio morem gerentes, vigore praesentis publici edicti, monemus omnes et singulas personas, cujuscunque status, gradus, et conditionis existant, quae actu confugerunt vel in posterum confugient ad ecclesias et loca immunita, si beneficio immunitatis hujusmodi gaudere velint, ne sub quovis praetextu exeant vel discedant ab eisdem ecclesiis locisque immunibus, imo diligenter caveant ne fidem adhibeant ulli assertioni, quam sibi ad id a quavis persona, etiamsi fuerit justitiae minister, offerri contigerit, nisi eis simul exhibeatur salvus-conductus ab aliquo iudice ordinario vel Delegato concessus ac subscriptus; quo casu salvus-conductus hujusmodi, pro eo tamen duntaxat limitato tempore quo concessus fuerit, ipsi suffragabitur.

« Curent igitur omnes et singuli confugientes ad ecclesias et loca immunita praecise servare confugium; quoniam, si deinceps extra ecclesias et loca immunita hujusmodi capti ad manus curiae devenerint, nequaquam eis proderit, ad effectum fruendi beneficio ecclesiasticae immunitatis, allegare vel etiam concludenter probare quod blandis verbis vel alias dolose ab ecclesiis vel locis immunibus praedictis extracti seu abducti fuerint, cum sanctissimi domini nostri mens sit quod de caetero ea tantum extractiones seu abductiones extractis seu abductis ad praefatum effectum suffragentur, quae, aut violentar, aut sub fide salvi conductus, ut supra concessi et subscripti, secutae fuerint.

« Caeterum, ubi contingat in hac nostra diocesi aliquam reperiri personam quae revera blandis verbis, aut alias dolose ab ecclesia seu loco immuni extracta vel abducta fuerit, serio illam per praesens edictum admonemus ut quatenus frui intendat beneficio immunitatis ecclesiasticae localis, redeat ad confugium intra terminum unius mensis a die publicationis praesentis edicti computandum, petito prius a nobis salvo-conductu, quem gratis concedimus. Quod si elapso praedicto termino, extra locum immunem deprehensa fuerit, sciat se habendam esse perinde ac si ab eodem loco immuni sponte sua discessisset, nec amplius audiendam super extractione dolosa, quam de praeterito se passam fuisse allegaret, cum talis itidem sit mens Sanctitatis Suae.

« Volumus autem hoc nostrum monitoriale edictum ad valvas metropolitanae ecclesiae hujus civitatis affigi et publicari, ac insuper in singulis parochialibus ecclesiis nostrae diocesis, inter missarum solemnias promulgari, sique affixum et publicatum, ac respective promulgatum post mensem a die illius affixionis et publicationis, ac respective promulgationis computandum, omnes et singulos quos illud concernit, perinde arctare et afficere ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatum fuisset. Datum ex nostro palatio archiepiscopali, hac die..... »

EPISTOLA ENCYCLICA

De eodem argumento, conscripta italico idiomate, ad universos Italiae insularumque adjacentium ordinarios.

Illustrissimo e Reverendissimo Monsignore come Fratello.

(102. Essendo pervenute da più parti alla Santità di nostro Signore molte querele, che pur troppo si sono riconosciute appoggiate alla verità, sopra gli abusi ed inconvenienti che frequentemente nascono dall'allegarsi da molti di quelli, che vengono carcerati, tanto per cause civili, quanto per criminali, di essere stati dolosamente estratti dalle chiese e luoghi immuni; mentre li medesimi, per eludere la giustizia, bene spesso asseriscono falsamente di aver patita tale dolosa estrazione, per sostenerla, spergurano ne' loro costumi, inducono testimonj falsi, e commettono altre simili cose coll'ajuto anco de' loro amici, e congiunti; anzi talvolta essi stessi sono quelli che per potere liberamente vagare e forse anco commettere delitti senza perder il beneficio dell'immunità, che pretendono di continuare a godere, si erano fatti a bella posta estrarre per mezzo de' Ministri subalterni della giustizia dalle suddette chiese e luoghi immuni: quindi è che la Santità Sua, per provvedere a tanti e sì gravi inconvenienti, che accadono in pregiudizio della giustizia, ed in notevole aggravio dell'anime dei fedeli; edito prima il parere di una particolare congregazione di alcuni signori cardinali e prelati a tal effetto specialmente deputati dalla Santità Sua, ordina, e comanda che tutti li ordinarij de' luoghi debbano ammonire e notificare con publico editto che tutti quelli, che ora si trovano rifugiati, e che in qualunque tempo a venire saranno per rifugiarsi nelle chiese ed altri luoghi immuni, di qualsivoglia stato, grado, e condizione siano, se vogliono goderne l'immunità, avvertano di non partirne, nè si lascino indurre sotto qualsivoglia pretesto, causa, o colore a uscir fuori di dette chiese ed altri luoghi immuni; poichè uscendone, se capiteranno nelle mani della giustizia, non varrà loro il dire, o pretendere di provare di esserne stati estratti dolosamente, o con fallaci suggestioni, o assicurazioni; volendo la Santità Sua, che dopo la detta ammonizione non possa più allegarsi, nè allegandosi, a chi si sia possa giovare l'estrazione dolosa, ma unicamente possa allegarsi, e giovar l'estrazione violenta, e quella, che fosse seguita sotto la sicurezza del salvo-condotto conceduto e sottoscritto da qualche giudice ordinario o delegato, quale però dovrà valere solo per quel tempo limitato per cui sarà stato conceduto. Siccome parimente dovranno notificare pubblicamente, come sopra, che se alcuno veramente fosse stato per il passato dolosamente estratto da qualche chiesa o luogo immune, e voglia godere del beneficio dell'immunità locale, debba ritornare al confugio ecclesiastico dentro un mese da decorrere dopo la pubbli-

cazione del medesimo editto, con chiedere agl'istessi ordinarij, quando gli occorra, per tal effetto il salvo-condotto, quale dovrà dargli gratis, e per tempo limitato ad arbitrio de' medesimi ordinarij. Avvertendo inoltre, che, se passato il detto termine d'un mese sarà catturato fuori del luogo immune, dovrà considerarsi, come se volontariamente, e senza alcuna frode ne fosse partito, nè dovrà udirsi sopra l'estrazione dolosa, che pretendesse aver patita. Avendo però nostro Signore ordinato, che se ne faccia lettera circolare, in esecuzione de' supremi comandi della Santità Sua, partecipo il tutto a V. S. acciò possa adempire la mente di Sua Beatitudine, con farne pubblicare l'editto secondo la forma espresso nell'annesso foglio, che le trasmetto; come altresì sarà sua cura, che lo stesso si eseguisca da vescovi suoi suffraganei, e da altri ordinarij dipendenti da cotesta sua chiesa metropolitana, a quali perciò dovrà ella a tal'effetto pienamente significare quanto a lei stessa con la presente s'ingiugne. Ed io intanto col significarglielo, me lo offero.

Roma, 20 Gennaio 1717.

Di V. S.

Come Fratello affezionatissimo.

S. A., cardinal. TANARA.

Scipione de Ricci, secret.

(103. Rei confugiti per vim extracti non servato modo praescripto a Benedicto XIII. in cit. constitut. incip. *Ex quo*, § 8, et relate supra sub n. 40, debent iterum restitui. *Communis*, et certa, arg. c. *Sicut antiquitus* 6, caus. 17, q. 4, ubi excommunicari jubetur, « qui personam hominis, vel bona ejus inde (id est e loco asyli) subtraxerit quoad usque emendet, et quod rapuerit reddat; » et c. *Miror*, 8, ead. caus. et q., ubi sic expresse praecipitur: « Ecclesiae igitur revoca, quae irreligiosissimus rapuisti, » et cit. *Benedictina*, § 8; (104. etiamsi notorie constet, ipsos confugitos commisisse crimen exceptum, quia ex cit. *Gregoriana* et *Benedictina* ad extractionem requiritur semper praevia cognitio et declaratio episcopi, et ex novissima dispositione ipsius *Benedictinae* § 8, inviolabilis observantia modi ibi praescripti, aliter extractio est nulla, et consequenter extracti sunt restituendi. *Farinac.* in appendic. *de Immun.* cap. 2, num. 51.; *Diana*, p. 1, tract. *resolut.* 41; *Reiffenst.*, loc. cit., n. 204, et alii passim. (105. Confugiti etiamsi licite sint extracti, debent iterum restitui, si indicia contra eos acquisita in suis defensionibus purgent ac diluant; cit. *Benedictina*, § 8.

(106. Imo debent restitui confugiti, etiamsi de eorum consensu et voluntate fuerint extracti, quia, quamvis renuntiant immunitati, non possunt tamen per suam renuntiationem praedjudicare Ecclesiae: sic expresse decrevit Sac. Cong. Immunitatis in *Cajacen.* 20 Novembris 1640, lib. III decret. *Pauuc.*, pag. 134.

(107. Restitutio extractorum fieri debet eidem ecclesiae vel loco a quo fuerunt ex-

tracti: et ad hoc, ut restitutio alteri ecclesiae fieri possit, requiritur dispensatio Summi Pontificis, nec sufficit solus consensus partium. Sic pluries decrevit S. C. Immunit.; et signanter Neapolitana 21 April. 1634, in hunc modum: « D. secretarius juxta mentem, scilicet, ut mediante auctoritate Sanctissimi faciat convalidare restitutionem factam alteri ecclesiae, cum non dependeat a consensu partium, sed ab auctoritate Sanctissimi. » Sic refert Pign., tom. I, cons. 172, num. 10.

(108. Amplius, quamvis extractus moram trahat in loco distante ab ecclesia extractionis, attamen, attento consensu extracti, in his casibus Sanctissimus dispensat ut restituatur alteri ecclesiae. Ead. sac. congr. Imm. in Mediolanens., 28 Nov. 1634, lib. II decret. Paul., pag. 210; in Vercellen. 25 Maji 1653, lib. V decret. Pauluc., pag. 76; in Asculana 24 Junii 1653, lib. V decret. Pauluc., pag. 67.

(109. Quando quamplures sunt extracti qui restitui debent eidem ecclesiae, ad evitanda scandala restitutio fit diversis ecclesiis et diverso tempore. Ead. sac. congr. Immunit. in Castren.; 3 Jun. 1640; lib. II decr. Paul., p. 43.

(110. Aliquando extractus ex facultate Sanctissimi restituitur ecclesiae S. Joan. Lateranensis, uti matri ecclesiarum, loco ecclesiae a qua fuit extractus. Ead. sac. congr. Imm. in Spoletana, 18 Sept. 1646, lib. III decret. Paul., pag. 293.

(111. Permittitur, annuente Sanctissimo, quod restitutio extractorum fiat alteri ab ecclesia extractionis, ex causis urgentibus allatis a curia laica, eadem sac. congregat. Imm. in Sarzanen. 16 Januarii 1672, lib. I decr. Altov., pag. 533. (112. Item permittitur ut extractus qui ob infirmitatem non potest restitui ecclesiae violatae, restituatur alteri ab ipso eligendae, ead. sac. congr. Imm. in Aversana, 20 Januar. 1703, lib. II dec. Vall., p. 468.

(113. Restitutio extracti conceditur fieri alteri ab ecclesia extractionis ob minas et periculum occisionis parochi, et cum idonea cautione de non offendendo inimicum et testes, ac de non accedendo ad locum ecclesiae a qua fuit extractus; ead. sac. congr. Imm. in Casertana 22 Janv. 1697, lib. II decret. Vallem., pag. 71.

(114. Aliquando Sanctissimus concedit archiepiscopo facultatem restituendi extractum alteri ab ecclesia extractionis, pro conscientia et arbitrio ipsius; ead. sac. congr. Imm. in Aesina, 15 Nov. 1661, I. decr. Rocci, p. 366; in Neapolitana, 18 Januar. 1667, lib. I dec. Alt., pag. 80. (115. Aliquando injungitur archiepiscopo ut dato in actis curiae ecel. consensu extracti, permittat restitui in alia ab Ecclesia extractionis extra diocesim electa ab extracto; ead. sac. congr. Imm. in Salernitana, 20 Julii 1648, lib. decret. Mart., pag. 327.

(116. Fur extractus fuit ab una ecclesia, et episcopus ordinavit restitui eidem ecclesiae; sed curia laica in ejus carceribus erat,

attenta ejus infirmitate, et distantia loci, restitui fecit in alia ecclesia insigniori, et elapso aliquo tempore, cum idem fur ob nova furta carceratus fuerit in loco non immuni a curia laica, petiit denuo restitui ecclesiae primae extractionis. Sacra congregatio dixit gaudere, et esse restituendum ecclesiae extractionis pro reintegratione. Ead. sac. congreg. Imm., in Lauretana, 18 Aug. 1702, lib. III. decret. Vallemani, pag. 435.

(117. Extractus violenter a quadam ecclesia parochiali diocesis S. Miniati per curiam saecularem, ac in carceres laicales a quibus aufugerat conjectus, pendente processu curiae episcop. contra extractores pro reparatione laesae immunitatis, denuo fugiens ex ipsis carceribus in eademmet ecclesia se recepit; inde Romam veniens elapsis circiter tribus annis, nova ob delicta ab executoribus em. Urbis vicarii in carceres iterum truditur; verum allegata per ipsum immunitate, appellavit a sententia ejusdem em. vicarii ad sacram congr., quae declaravit restituendum esse ecclesiae, sed cum Sanctissimo, ut restitutio fiat in urbe ecclesiae, per extractum eligendae. Ead. sac. congr. Imm. in una S. Miniati, 12 Jul. 1707, lib. decr. Maref.

(118. Extractus restituitur ecclesiae, sed annuente Sanctissimo, praestita cautione de non offendendo mulierem quam tentavit occidere. Ead. sac. congr. Imm. in Casalen., 19 Jul. 1661, lib. decr. Rocci, p. 348.

(119. In restitutione extracti ecclesiae saepissime requiritur idonea cautio de non offendendo testes, inimicum, ac querelantes; ead. sac. congr. Imm. in Civitatis Castelli, 28 Febr. 1668, lib. I decret. Altov., pag. 200; in Portuen., 25 Sept. 1696, lib. II, decr. Vall., pag. 5, in Cajetana, 24; Sept. 1697, ibi pag. 213; in Montis Falisci, 30 Jan. 1703, lib. III decret. Vallem., pag. 471.

(120. Episcopus restituat extractum loco immuni, sed prius provideat ne oriantur scandala in praerudicium et cum periculo parochi ex parte extracti; ead. sac. congr. Imm. in Lauden. 20, Decemb. 1702, lib. III decret. Vallemani, pag. 463.

(121. Restitutio carceratorum a curia laica in locis immunibus faciendae est propriis ordinariis ecclesiarum, non D. nuncio; ead. sac. congr. Imm. in Neapolitana, 10 Novemb. 1676, lib. I decr. Alt., pag. 1299. (122. Pendente articulo: An extractus gaudeat immunitate? restituendus est in carceribus ecclesiasticis; ead. sac. congr. Imm. in Asten., 29 Junii 1679, lib. II decr. Altov., pag. 1785.

(123. Discedens a loco immuni cum salvoconductu commissarii, ut ipsum commissarium alloquatur, et postea carceratus, de ordine Sanctissimi restituendus est Curiae ecclesiasticae, eadem sac. congr. Imm. in Ariminens., 3 Maji 1628, lib. II decr. Pauluc., pag. 93.

(124. Episcopus faciat restituere canonicum extractum de ejusdem ordine ab ecclesia, quatenus non habeat aliquid relevans in contrarium. Ead. sac. congr. Imm. in

Ferentinens. 9 Jan. 1700, lib. II. decret. Vallemani, pag. 264.

(125. Restitutio extracti debet fieri publice ipsi Ecclesiae violatae per eos qui extraxerunt, quia, cum per injuriosam extractionem fuerit facta publica injuria ecclesiae, ac populus publice scandalizatus, requiritur publicus poenitentiae actus correspondens publico delicto, et tollens publicum scandalum; Arg. cap. *Filius*, § *Illud autem*, de poenis in 6, et quidem per eos qui extraxerunt, « cum peccata suos debeant tenere auctores, » l. *Sanctimus*, 22, Cod. poenis, et cap. *Quaesivit*, 2, de his quae fiunt a majori parte Capituli. Sic Pignatell., tom. I. consult. 173, num. 7; Peregrin., de Immunit., cap. 15, num. 26; Reiffenstuel, loc. cit., n. 208, et alii, et ex decreto Sanctissimi servatum fuit contra gubernatorem urbis in extracto ab ecclesia S. Mariae de Pace, 27 Augusti 1629, in qua extractus repositus fuit ab iisdem birruariis publice post meridiem. Sic refert Pignatell., loc. cit. num. 4.

(126. Nec sufficit restitutio extracti facta episcopo seu vicario generali, aut repositio in carceribus ecclesiasticis, quia, cum non possit fieri restitutio neque alteri ecclesiae sine dispensatione Summi Pontificis, etiamsi extractus esset in loco distante ab ecclesia violata, sed necessario debeat fieri restitutio ipsi eidem ecclesiae violatae ut abunde patet ex supra allegatis decretis, tanto minus poterit fieri talis restitutio carceribus ecclesiasticis, aut episcopo seu ejus vicario generali, quia episcopus, ex quo non sit dominus, sed tantum procurator ecclesiae; arg. cap. *Si privatum* 28, caus. 12, quaest. 1, nequit remittere injuriam illi factam per extractionem et retentionem confugiti. Glossa in cap. *Si is*, caus. 13, qu. 4, verb. *Possumus*; Abbas in cap. *Contingit*, de Sentent. excomm., num. 11; Innocent., ibid., in princip.; Hostiens., ibid. num. 2; Pignatell., loc. cit., num. 9; Reiffenstuel, loc. cit. num. 207 et alii quos refert Binsfeld., de Jur. et damn. dat. c. 7. num. 4, et ult. conclus.

(127. Nec etiam pro restitutione sufficit simplex exarceratio aut dimissio extracti, sed debet per extrahentes necessario reponi in eadem ecclesia seu loco a quo fuit extractus, ut respondit Sacra Congr. Imm. in un. Mediolanensi, 25. Febr. 1688, his verbis: « Scribatur eminentissimo archiepiscopo, ut oratorem faciat restituere eidem ecclesiae a qua fuit extractus, nec sufficere illius exarcerationem pro reintegratione violatae immunitatis ecclesiae ob extractionem ipsius oratoris. » Sic Pign., loc. cit. num. 10; Reiffenstuel, loc. citat. num. 209; Riccius in Synopsi, verb. *Restitutio*, num. 1.

(128. Ultra restitutionem rei extracti pro reintegratione, tenentur etiam male extrahentes ad restitutionem omnium rerum et etiam armorum quae fuerunt sublata in extractione *Communis*, arg. cap. *Sicut antiquitus* 6, caus. 17, quaest. 4, ibi: « Qui personam vel bona ejus inde subtraxerit, quoadusque emendet, et quod rapuerit reddat, excommunicetur; » et sic pluries decrevit sacra congregatio Immunitatis, et signanter in As-

culana, 15 Januarii 1658, apud Riccium in Synopsi, verb. *Restitutio*, 29, his verbis: « Ablata de tempore quo quis fuit extractus ab Ecclesia, Episcopus mandet restitui; » et in Verulana, 20 Febr. 1608, apud Riccium in loc. cit. num. 22. ibi: « Nulliter extracti ab ecclesia per curiam episcopalem, episcopus mandet restitui, quidquid solvit pro sua exarceratione vicario, cancellario, et aliis; » et in puncto de restitutione armorum censuit sac. congregatio quod ante absolutionem faciendae sit restitutio in integrum armorum, in Lunen. Sarzanen., die 3 Augusti et die 24, etiam Augusti ejusdem anni in una Brundisina et in una Mediolanensi die 28 Maii 1625; apud Pignatell., t. I, consult. 172, n. 13.

(129. Violatores immunitatis asyli, ultra gravissimum sacrilegium quod committunt, ex c. *Mirror* 7, cap. *Frater* 9, cap. *Quisvis* 17, caus. 17, quaest. 4, et aliis similibus, et nullitatem omnium eorum actorum ex cit. Gregoriana et Benedictina, § 9, incurunt excommunicationem majorem latae sententiae. Habetur ex cit. Gregoriana, § 8, ibi: « Quod si quis quacunque dignitate et auctoritate praeditus, praemissorum, aut alio quovis praetextu quidquam praeter aut contra hujus nostrae constitutionis tenorem attentare praesumpserit, declaramus eum ipso facto censuras et poenas ejusdem incurrere quae contra libertatis juris immunitatis ecclesiasticae violatores per sacros canones, conciliorum generalium, nostrorumque praedecessorum constitutiones, sunt promulgatae; » et consimiliter habetur ex cit. Benedictina, § 9, et hanc excommunicationem esse latae sententiae jam habebatur ex repetitis declarationibus jussu Clementis VIII et Pauli V editis, de quibus testantur Castropalao, tract. 11. disp. unic., punct. 12, num. 3; Bonacina, tom. II, disp. 3, q. 7, punct. 8, num. 3; Marius Ital., de Imm. lib. I, c. 6, § 2, n. 29, et sequent.; Haunold, tom. VI, tract. 1, num. 256, et hodie post dictas bullas, et declarationes est certa et communis. Unde violatores asyli non sunt excommunicandi, sed solum sunt declarandi excommunicati, seu incurrisse excommunicationem, ut optime tradit Sperell. decis. 48. num. 32. et dec. 105. num. 42 et alii passim.

(130. Talem majorem excommunicationem latae sententiae incurrunt quicumque cujusvis dignitatis et auctoritatis existant, qui in aliquo modo immunitatem asyli violant; *Communis* ac certa ex citata Gregoriana § 8; ex cit. Benedictina, § 9. (131. Sic eam incurrunt omnes capientes, extrahentes, incarcerantes, vincientes reum in loco asyli existentem. *Communis*. (132. Item complices extractionis, et hujusmodi: sac. congr. Imm. in Hydruntina, 2 Decembris 1692, lib. I decret. Vallem., pag. 7; Balnecregien., 11 Januarii 1695, lib. I decret. Vallem., pag. 166; Regien. 2 Julii 1695, lib. I decret. Vallem., pag. 190. (133. Item fautores: eadem sac. congr. in Neapolitana, 18 Novembris 1687, libr. decr. Martell., pag. 186. (134. Item cooperantes: eadem sac. congr. in Regien. 16 Decemb. 1690, lib. decret. Mar-